



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

II. De causis episcoporum, & de Synodo congreganda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

brorum meorum, maximeque discipulorum meorum existis ut princeps & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ sedis præfules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Ideo omnia, quæ innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis.

## II.

3. quæst. 6.  
Discutere  
episcopos.

Discutere namque episcopos, & summas ecclesiasticorum negotiorum causas metropolitano, vna cum omnibus suis comprouincialibus, ita ut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet: sed definire eorum atque ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare episcopos, absque huius sanctæ sedis auctoritate, minime licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam (ut nostis) Synodum sine eius auctoritate fieri, non est catholicum: nec episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore apostolica vocatione congregata, definite damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolica auctoritate.

## III.

2. quæst. 7.  
Testes absque  
vlla.

Accusatores autem episcoporum & testes, super quibus rogastis, absque vlla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula, & veræ fidei pleniter instructi esse debent, & tales, quales ad sacerdotium eligere iubet diuina auctoritas: quoniam sacerdotes (ut antiqua tradit auctoritas) criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eundem non debent nec possunt prouehi honorem.

## IV.

2. quæst. 7.  
Sacerdotes  
vt an.

Vocatio enim ad Synodum (iuxta decreta patrum) canonica eius, qui impetitur, tam sua præsentia, quam & scriptis atque apocrifariis, per spatium fieri debet congruum atque canonicum: quia nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione, licet venerit ad Conuentum, quacumque necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus: quoniam nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis diuinæ?

## V.

5. quæst. 2.  
Vocatio ad  
Synod.

De eiectionibus vero, atque suis rebus expoliatis, nihil vo-